

Brevis Repetitio Historica,
De Ortu, Progressu, & Exitu

AUGUSTANÆ CONFSSIONIS.

Cum motus Rusticorum in Germania contra Magistratus suos, à quibus nimis angariis & censibus se opprimi causabantur, incrementa passim sumerent, & Turca pariter Christianorum rebus duraminaretur, Carolus V. Imperator Romanorum, inevitabili necessitate adactus, publico diplomate Anno 150. Bononia emissio, principes & ordines imperii ad comitia Augusta Vindelicorum celebranda, convocat, ut non tantum de auxiliis contra motus Rusticorum & Turcam mature deliberaretur, verum etiam, ut, compositis dissensionibus in causa Religionis & fidei Christianæ, litigantes in gratiam redirent. Acceperat recens coronam imperii à Pontifice Clemente VII. qui omnibus nervis hoc agere videbatur, ut Cæsarem à proposito abduceret, longè optimum esse dicitans, absoluto imperio & proposito edicto hos turbarum fluctus componere, & ad vim potius ferrumq; decurrere, quàm licentiæ vulgi, magnatum ambitioni, & hæresiarcharum contumaciæ frenum laxare. Etsi autem his & similibus verborum lenociniis talem crudelitatem *Meretrix Babylonica* Cæsari persuadere moliretur, ille tamen pro ingenii sui nobilitate & pectoris candore, sibi fucum fieri à Papa sentiens, ejus consilium tyrannicum non acceptavit, id tamen promisit, *se usurum remediis severioribus, si lenitate ad gremium Ecclesie Romanæ non posset reducere Protestantes.* Interim Comititia indicta suum sortiebantur progressum. Et quoniam cuivis Principi, reliquisque ordinibus injunctum, ut *Confessionem fidei* secum adferrent, Latina & Germanica lingua, *Serenisf. Elector Saxonie Johannes*, nomine reliquorum, Theologis Wittenbergicis injunxit, ut certam & cum Sacris literis per omnia congruentem, prout hæctenus in Ducatibus, ditionibus & urbibus Protestantium fuerat tradita, conscriberent fidei confessionem, eamque Torgaviam mitterent. Jussu ergò & autoritate Collegii Theologici, *D. Lutherus* Synopsis doctrinæ Christianæ septendecim articulis comprehensam concinnavit, ad cujus normam & fundamenta *Philippus Melanct.* cum reliquis Theologis doctrinæ summam in justam Confessionem redegit, quam de in *Electore* *Luthero*, qui